Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. I. Pars II.

Wien, 1794 Seite 2159

Quelle:
Copyright:

nis ſub initia Typographiae non ſemel excuſa, cui perperam quidam *Mathiam Farinatorem de Vienna* Ord. *Carm.* autorem faciunt, qui tamen in Prologo ſuo nihil aliud ſibi adrogat, quam Operis diſtinctionem in *Titulos* et *Paragraphos*, impreſſionisque procurationem. Prologus alter, qui ipſius Autoris eſt, refert quidem illum a *Johanne* Papa, qui XXII. videtur, una cum Opere ſuo ad ſe evocatum, Opusque ab ipſo Papa *Lumen Animae* adpellatum fuiſſe, nomen tamen Viri nequaquam prodit. Legi merentur vetuſtorum Scriptorum Nomina, quibus hic ſe in lucubratione ſua adjutum fuiſſe profitetur, quanquam quivis emunctae naris fabulas ibi ſubodorabitur.

DLXVIII.

399 Codex membraneus lat. Sec. XIII. Folior. 165. 4. charactere craſſo per duas columnas exaratus, rubricisque diſtinctus miniatam hanc praefert inſcriptionem: *Incipit prologus in opuſculum* (alius atramento: *moralitatum de naturis animalium*, ſubdidit) *fratris Henrici Monachi ſancte Crucis ordinis Cyſt.* (in Auſtria infer.) *nacione de Schüttenhofen.* Eſt haec *Bohemiae* urbecula, Autor igitur *Bohemus*, *Trithemio*, *Geſnero*, *Fabricio*, *Balbino*, quin ipſi Ordinis *Ciſt.* Bibliothecario *Viſchio* ignotus. Praeit *Prologum* dimidia Pars *Indicis* alphab. altero dimidio ad calcem *Cod.* rejecto, et rudis in aureo fundo pictura literae U. diverſas Animalium figuras exhibens. *Prologi* initium: *Ut beatus Bernabrdus dicit in libro ad fratres de monte dei. ſeruum dei numquam debere eſſe ocioſum — Ideo opuſculum ſubſcriptum deſcribendum* (i. e. componendum) *aſſumpſi vt laboris falce de ortulo cordis vepres cogitationum malarum et temptationum iniquarum ſpinoſos aculeos preciderem — Primo determinando de homine quoad animam et corpus tamquam de digniori. Secundo occaſione hominis veri et rationalis de hominibus monſtruoſis. Tertio de animalibus ſuccincte in generali. Quarto et vltimo de animalibus in ſpeciali ſecundum ordinem alphabeti* &c. Habes lineas Operis. De Homine porro: *Primo — probatur, quod preexcellat cetera terreſtria animalia dignitate. Secundo docetur quid ſit diffinitiue. Tertio quid ſit diuiſiue. Quarto determinatur de anima. Quinto de corpore humano.* Atque haec omnia rurſus in plures Articulos abeunt, quibus ſingulis *Moralitates* ſuae ſubjiciuntur. Pars II. de Monſtris et III. de Animalibus in genere admodum laconica eſt, eo diſertior Pars IV. in qua praecipui fontes *Ariſtoteles*, *Iſidorus*, *Liber de Proprietatibus Rerum*, qui eſt *Bartholomaei de Glanvilla* vulgo dicti *Anglici*, *Phyſiologus*, qui *Theobaldo* cuidam Epiſcopo adſcribitur, *Plinius*, *Avicenna*, *Solinus* &c. e quibus fabulas non parca manu admetitur Noſter, non tam

de